



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 35. Decretum: Sancta Romana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul XIV firmam illius disciplinam: Papæ tamen
A.C. 1317. promptissime obsecuturum. Nihil con-
 tra motum est: atque Clarenſis congregatio floruit uſque ad finem ſeculi decimi ſexti, & ad Pontificatum Pii V.

§. XXXV.

Decretum: Sancta Romana.

*Extrav.
 Joan. S.
 Rom. de re-
 lig. dom.*

*Sup. lib. 89.
 §. 35.*

Clarenſes non erant ſoli, qui reparatione diſciplinæ per authoritatem Papæ Coeleftini firmata niterentur. Id docet Papæ Joannis ſanctio, in qua ſic loquitur: Quam plurimi homines profani vulgo Fraticelli ſeu Fratres vitæ pauperis, Beguini, Bizoqui vel aliter nuncupati verſantur in Sicilia, in Italia, in Saluviorum agro, in provinciis Narbonenſi ac Tolofana, aliisque in locis; ubi audent novi Ordinis veſtem gerere, conventicula agere, Miniſtros & Cuſtodes deligere, novas domos extruere, communiter eas incolere, ac publice mendicare, quaſi hæc ſecta eſſet inter Ordines a Summa Sede approbatoſ. Multi eorum, impietatem ut tegant ſuam, ſe regulam S. Franciſci ad litteram obſervare aſſerunt, tametſi Ordinis Miniſtris Provincialibus Generalique nullam præſtent obedientiam, habere ſe a Papa Coeleftino privilegium cauſanteſ. Verum, ſi exhibere id poſſent, nihil valeret,

ret, cum Bonifacius VIII cuncta privilegia per illum Papam antecessorem suum collata infirmaverit.

Sæcul. XIV.
A.C. 1317.

Quidam eorum perhibent se hunc vestitum, & hunc vivendi modum accepisse ab Episcopis aliisque Præsulibus, qui carebant potestate tradendi eos contra inhibitionem concilii generalis (Lateranensis videlicet an. 1215 habiti) quod novos Ordines Religiosos interdixit. Alii se annumerant Ordini tertio S. Francisci seu Poenitentium: quamquam tertii Ordinis regula talem vitæ rationem non permittit. Et quia ii, qui sensa sui animi decisionibus Patrum antefecerunt, facile hallucinantur, multi eorum a catholica fide deflectunt, Ecclesiæ Sacramenta despiciunt, & alios errores magno numero disseminant. Hanc igitur sectam & hoc institutum damnamus, irrita declarantes omnia, quæ id professi fecerunt sub nomine Ordinis aut congregationis. Vetamus sub anathematis poena, ne hoc in statu diutius maneant: & eandem poenam decernimus in Episcopos cæterosque Præsules, qui his aliisque hominibus talem vitam ducendi copiam dabunt sine singulari consensu Summæ Sedis. Hæc sanctio edita 30 Dec. 1317 manifesto damnat tum Fratres Minores seditiosos, tum Fraticellos sive Bissoquos a Papis prioribus

prioribus

Sæcul. XIV. prioribus jam condemnatos. Bisquo-
A.C. 1317. rum errores & crimina recensent au-
Sup. lib. 89. thores coævi; inter alios Alvarus Pela-
§. 55. gius ex Ordine Minorum, postea Episco-
De plantu pus Silvensis in Lusitania.
l. 2. c. 51.

§. XXXVI.

*Ordinis Grandimontani emen-
datio.*

Bal. to. 1.
p. 137. 157.
191.

Sup. lib. 62.
§. 7.

Magnæ Ordinis Grandimontani turbæ ac diffidia Papam Joannem permoverunt, ut prioratum Grandimontanum Ordinis sedem principem in abbatiam converteret. Sanxit, ut Abbatis electio ad Conventum spectaret; totus Ordo ad triginta novem prioratus conventu præditos reduceretur; hi fierent ex præcipuis domibus; Priores eligeret cœnobium, & confirmaret Abbas; reliquæ domus singulæ cuidam prioratui conjungerentur ac essent obnoxie: tribus pristinis Inspectoribus quartum addidit. Hæc instauratio facta est anno 1317, post principium Ordinis 241, si numerum ordiamur a recessu S. Stephani in solitudinem Murellinam, hanc enim adiit anno 1076.

§. XXXVII.